

enim quispiam sic interrogatus responderet affirmative, libere ac sponte hoc ipso profiteretur in se suscipere obligationem aut onus a quo antea liber erat, alioquin frustra exploraretur ejus voluntas; quod si responderit negative, hoc ipso pariter declarat se immunem esse ac liberum a quavis obligatione, ut per se patet: nam obligatio et immunitas ab obligatione sunt notionem, quæ sese invicem excludunt.

Quoad alterum vero, obligationem scilicet standi promissis oriri ex jure divino ac naturali in infantibus baptizatis, res ipsa clamat. Ac primo quidem de jure divino constat ex verbis, quibus Christus legem baptismi tulit: *Euntes docete omnes gentes... docentes servare omnia quæcumque mandavi vobis* (Matth. XXVIII, 19). Hæc igitur est conditio, sine qua rite nec conferri nec suscipi potest baptisma. De jure autem naturali patet ex eo, quod illi qui baptizantur cooptentur in Ecclesiam seu in societatem a Christo institutam; jamvero quicumque aliquam societatem ingreditur, hoc ipso jure naturali tenetur leges servare ejusdem societatis, cujus membrum est. Quod vel ipsius civilis societatis exemplum ostendit. In quavis enim societate quis nascatur, ex eo instanti obstrictus fit jure naturali ad peculiare illius societatis leges servandas. Hinc vix infantes adolescent, quid interrogentur, velint necne legibus obtemperare, illico coguntur per pœnas in delinquentes statutas iisdem obsequi.

Addatur, per baptismum unumquemque a maximo sibi impendente malo eripi, et ad maximum bonum jus acquirere. Tenetur igitur unusquisque ad eam conditionem adimplendam, sine qua nec malum illud evadere, æternam scilicet damnationem, nec tantum bonum, cujusmodi est æterna vita, assequi potuisset. Cum enim Ecclesia sciat hanc conditionem a Christo appositam baptizando, nemini conferre vult regenerationis lavacrum, quin sibi constet de ipsius voluntate aut expressa aut præsumpta ejusmodi conditionis adimplendæ. Quare aut præsumi debet talis voluntas in infantibus, aut omnes a baptismo essent arceudi: cum vero posterius hoc nec adversarii admittant, prius concedere debent. Ut autem majori solemnitate id constet, accommodat pia mater his infantibus vicariam linguam et sponsionem susceptorum. Dixi majori solemnitate, non autem ex necessitate, quia etiamsi baptismus privatim administraretur absque ejusmodi sponsionibus, teneretur tamen infans cum adoleverit eam conditionem adimplere, quam ex Christi voluntate baptismus includit ac præ se fert.

Hæc autem, præter exemplum civilis societatis, confirmantur ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ nunquam consuevit puerorum sciscitari voluntatem; et ex praxi veteris synagogæ, quæ, nulla præmissa interrogatione, infantes circumcisos semper adegit ad legis observantiam.

Constat igitur, quod proposuimus, neque circa fidem, neque circa mores interrogandos esse parvulos baptizatos, etc. Merito igitur statuit Tridentinum

can. VII. de bapt. *Si quis dixerit baptizatos per baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anath. sit; et can. VIII: Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anath. sit.*

DIFFICULTATES. I. Obj. 1. Ad credendum, sicut oportet, non sufficit pia motio et affectio, sed certissimus requiritur assensus, quem intellectus præstare non potest, nisi objectum fidei credibile menti videatur, illudque intellectus prævio sufficienti examine tale esse judicaverit; hoc porro examen ante consensum suspensionem involvit; itaque qui tale examen præhibent, rationabilem æque vetant fidem et ab orthodoxorum principiis recedunt. 2. Sufficiens autem dici nequit motivum, quod in Romana communione pueris rationis usum adeptis proponitur, auctoritas scilicet Ecclesiæ; cum hoc ipsum motivum proponatur pueris Græcorum, quorum tamen fidem Romana Ecclesia non approbat. Quamvis vero daretur infallibilitas Ecclesiæ, quoniam pacto nosse posset puer aut adolescens solam Ecclesiam Romanam esse infallibilem? 3. Præsertim cum, si sincere loqui velimus, non alia de causa pueri tandem credant, nisi quia ita credendum esse eos docent parentes, catechistæ, institutores: sed si semel constitueretur sufficiens esse ejusmodi motivum, jam in quavis secula pueri veram cognoscere et habere fidem possent; hoc autem perinde esset, atque universalem inducere religiosum tolerantismum. Quare ne in hoc delabamur absurdum, restat ut pueris, cum adoleverint, liberum permitti debeat examen circa credibilitatem fidei motiva, ne cito nimis et absque examine credentes, per enthusiasum tandem et imprudenter credant. 4. Non aliam proinde ob causam in Romana communione pueri non prius admittuntur ad sacram synaxim, quam satis in fide confirmati censeantur. Ergo.

Resp. ad 1. Dist. In adultis nondum baptizatis, et quidem erroribus et falsis opinionibus præoccupatis, Tr. (1) in parvulis baptizatis et vix rationis usum assecutis, N. Ut patet ex dictis; præsertim cum pueri, anticipatis judiciis vacui, ipso naturæ lumine facile intelligant, quod aiebat s. Augustinus, esse *Ab ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam quo veluti gradu certo innitentes adiollamur in Deum* (2). Profecto, si ipse Augustinus jam adultus de se profitebatur: *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas* (3), quanto magis hæc eadem Ecclesiæ auctoritas accommodatum et sufficiens motivum erit infirmitati et simplicitati pueri, ad supernaturalem præsertim ordinem per baptismum

(1) Transmissi primum distinctionis membrum, quia neque in adultis absolute necesse est, ut semper examen debeat præcedere fidem. Hinc Bossuetus non minus vere quam profunde dixit: «Necesse non est ut semper examinetur priusquam credatur.» Sane plures crediderunt absque examine, a gratia Dei subito illustrati ac moti.

(2) Lib. de Utilitate credendi c. 16. n. 34.

(3) Contra epist. Fundan. n. 6.

jam evecti, ut fidei objecta percipiat, certoque credat?

Ad 2. vel Neg. vel Dist. Si isti pueri in primo fidei actu veram Ecclesiam a falsis distinguere deberent, C. si plures esse communionem, quæ sibi Ecclesiæ nomen usurpent, ne suspicentur quidem, seu ignorant, N. Jam vero puero Ecclesiæ dotes et proprietates explicantur, ex quibus intelligit, quanto sit a Deo auctus beneficio, cui contigit in ea nasci et institui, quin ulterius quærat. Num enim, ut silvestris Americanus verus christianus fiat, necesse est, ut ipsi discrimen proponatur, quod inter religionem christianam, sectasque judaicam et islamiticam intercedit? Neque ipsi protestantes id contendant (1).

Verum ut radicibus hæc difficultas, ut ita dicam, convellatur, juverit rem totam a suis principiis repetere. Ac primo instar fundamenti ponendum est, quod, quicumque in diversis sectis nascuntur et baptizantur, in veram Christi Ecclesiam cooptentur, quæ est Ecclesia catholica. Quando isti adoleseunt et ipsi pariter proponuntur articuli credendi nomine et auctoritate veræ Ecclesiæ a Christo institutæ, ideoque semper catholici sunt. Neque obstat quod interdum permisceantur erroneæ doctrinæ una cum veris fidei articulis, siquidem ad ejusmodi falsa objecta non extenditur sive gratiæ habitus, sive gratia actualis, vi cujus pueri instituti actum fidei eliciunt; cum propterea bonæ fidei sint, iis non obstantibus, catholici esse perseverant (2). Tunc vero solum catholici esse desinunt, et incipiunt ad sectam peculiarem pertinere, cum incipiunt esse malæ fidei, vel dum volentes dubium positivum in animum admittunt, vel dum contrariam sectæ erroribus veritatem agnoscunt et non amplectuntur, imo sectæ erroribus pertinaciter adherent, in quo gratiæ interiori resistunt.

In eo porro, quem delineavimus, rerum statu adoleseunt filii catholicorum, adoleseunt et filii hæreticorum, utrique per instructionem formantur et per examen, ut diximus, confirmativum, quo repellitur ignorantia. Hinc si utrique fideles se exhibeant Dei gratiæ, catholicorum filii magis ac magis confirmantur in fide semel adepta, præsertim cum motiva credibilitatis, quæ favent catholice Ecclesiæ, talia sint, ut in omnium oculos incurrant, cujusmodi sunt e. g. ejus origo, unitas, perpetuitas, universalitas, sanctitas, etc. (3). Contra vero filii hæreticorum incipiunt

(1) C. Spedalieri. *Analisi dell'esame critico in Freret* loc. cit.

(2) Hic juvat in medium afferre doctrinam s. Thomæ, qui in lib. in Sent. d. 25. q. 3. a. 3. sol. 2. hæc præclara scribit: «Fidei habitus infusus in duobus nos adjuvat: scilicet ut credamus ea quæ credenda sunt, et ut eis quæ non sunt credenda nullo modo assentiamur.»

(3) Hic præterea observandum est, inter ceteros fidei articulos, Ecclesiam catholicam annumerari, seu Ecclesiam catholicam fidei objectum esse, juxta id quod in symbolo apostolico profitemur. «Credo Ecclesiam catholicam.» Cum igitur habitus fidei animum inclinet in ea quæ sunt credenda, vi hujus habitus fidei, quem per baptismum infans infusus habet, inclinatur cum adoleat ad assentiendum huic fidei articulo, seu ad ipsum credendum cum ei proponitur, ut per eum inducatur ad credendos articulos reliquos ejusdem fidei, quos Ecclesia proponit.

Apposite Bossuet in opusc. *Réflexions sur un écrit de*

dubitare et quo honestiores, meliores, fideiores fuerint gratiæ jam acceptæ, eo magis dubitare pergunt de veritate sectæ, in qua nati sunt et enutriti, et eo facilius, quod omnia ipsis dubium ingerere debeant, natura scilicet hæresum, origo, epocha, nomen, antiqua monumenta, templa, inscriptiones, sepulcra, etc. donec perveniant ad cognitionem veritatis. Itaque filii catholicorum semper in ordine progressivo sunt circa veram fidem, filii vero hæreticorum in ordine retrogrado respectu propriæ sectæ, quare si pro virili gratiæ obsecundent, conjunguntur Ecclesiæ catholice, quod si gratiæ resistent, sectæ in qua nati sunt errores profitebuntur, et ad Ecclesiam catholicam pertinere jam desinent.

Ad 3. Dist. Immediate eos docent parentes, etc. C. mediate, N. Isti enim omnes respectu puerorum Ecclesiam repræsentant, dum ipsis objecta fidei credenda proponunt auctoritate et nomine Ecclesiæ juxta dicta. Quinimo vel ipsi schismatici et hæretici, qui Christi et Ecclesiæ auctoritatem urgent in pueris instituendis, istos ducunt ad veram fidem et ad actus supernaturales eliciendos, donec evangelico lacti venenum schismatis aut hæreseos non immisceant. Ecclesia quippe, quæ, ut loquitur Augustinus, vel per se vel per uteros ancillarum infantes in baptismo gignit, in institutione pariter veritatum fidei, pueros vel per suum vel per ancillarum sinum alit, fovet et nutrit, donec malæ fidei esse incipiant.

Ad 4. Neg. Differri eucharistiam parvulis defectu fidei aut examinis, ut adversarii autumant; sed majoris reverentiæ causa erga tantum sacramentum; prout et ipsi protestantes facere consueverunt. Atque id quidem ex libera disciplina. Quis enim ignorat, primis Ecclesiæ seculis datam ipsis eucharistiam fuisse et confirmationem una cum baptismo, ut superius diximus?

II. Obj. 1. Nemo tenetur nisi ad id, quod ipse per se, vel alter ex suo consensu promisit. Atqui promissiones in baptismo neque puer fecit, neque consensu pueri sponsores; itaque nisi promissiones illas, cum adoleverit, confirmet, ad eas implendas minime tenetur. Nec obstat protestantium praxis, quæ hæc in parte reprehensibilis etiam est, quanquam tolerabilior eorum sit agendi ratio; pueris enim, cum usum rationis attigerint, lectionem præcipiunt Scripturarum, juxta illud Apostoli II Timoth. III. 14: *Tu vero permane in his, quæ didicisti, et credita sunt tibi. Et*

Monsieur Claude. Réfl. IV. «C'est une erreur de s'imaginer qu'il faille toujours examiner avant que de croire. Le bonheur de ceux qui naissent, pour ainsi dire, dans le sein de la vraie Eglise, c'est que Dieu lui ait donné une telle autorité, qu'on croit l'abord ce qu'elle propose, et que la foi précède ou plutôt exclut l'examen. Dieu... ne manque pas de motifs pour attacher ses enfants à son Eglise, à laquelle il a donné des caractères si particuliers et si éclatants. Cela même qu'elle est la seule de toutes les sociétés qui sont au monde, à laquelle nul ne peut montrer son commencement, ni aucune interruption de son état visible et extérieur par aucun fait avéré, pendant qu'il le montre à toutes les autres sociétés qui l'environnent, par des faits qu'elles-mêmes ne peuvent nier; cela même est un caractère sensible, qui donne une inviolable autorité à la vraie Eglise.» *Oeuvres de M. Bossuet, édit. de Liège 1766. tom. v. pag. 671. et suiv.*

quia ab infantia sacras litteras nosti (1). Hinc videt in illis puer baptizatus objecta fidei suae, et cum eodem apostolo dicere potest: Scio cui credidi, et certus sum, magis certum habens hoc pacto credibilitatis motivum; in Ecclesia autem romana pueris talis lectio interdicitur. Ergo.

Resp. Ad 1. Dist. Ex suo consensu vel expresso, vel interpretativo aut praesumpto, C. tantum expresso, N. Quoties enim agitur vel de maximo aliquo impendente malo avertendo, vel de summo aliquo bono aut beneficio adipiscendo, toties praesumitur voluntas ejus, ad quem ille spectant. Sic vel ipsae leges humanae jure naturali innixae stauerunt. Talis est porro casus noster. Numquid posset quispiam se retrahere a solvendis impensis medico aut pharmacopola debitis ac per sponsores promissis, eo quod ipse sensibus destitutus eas per se minime promiserit aut sine expresso suo consensu illi eas promissiones fecerint?

Ad 2. Dist. Si fides a Scripturarum lectione, quam protestantes praecipunt penderet, Tr. Si ex auditu ut, affirmat Apostolus, N. Jam vero Scripturarum lectio innumeris prope rudibus est impossibilis; sed et hoc dato, impossibile rursus est, ut pueruli ex ejusmodi lectione fidem, aut fidei articulos sibi cudere possint, cum neque adulti et docti absque Ecclesiae auctoritate et magisterio id consequi possint, ut ex protestantium experimento facile evincitur, qui hac methodo fidem omnem amiserunt, et in absurda quaeque delapsi sunt. Primi fideles absque Scripturis optimi christiani fuerunt perinde ac barbari illi, de quibus scribit s. Irenaeus, qui *Sine charta et atramento scriptam habebant per spiritum in cordibus suis salutem* (2). Addo absque infallibili Ecclesiae auctoritate ipsis constare non posse de Scripturarum canone, authenticitate et inspiratione. Sed de his suo loco. Interim ex his colligitur absurdam plane esse protestantium methodum, atque ad illudendum excogitatum.

CAPUT V. DE NECESSITATE BAPTISMI.

Duplici ratione potest aliquid necessarium esse; vel necessitate medii, ut vocant, vel necessitate praecipui. Necessarium est necessitate medii, si absque eo finis obtineri nullatenus possit; necessitate autem praecipui, si ita quidpiam sit imperatum, ut etiam eo omisso, inculpabiliter tamen, finis possit obtineri. Duplici hoc modo necessarium esse baptismum sive in re sive in voto tenet Ecclesia catholica, quoad adultos, quibus saltem innotuit Evangelium; necessarium vero docet necessitate medii quoad infantes, nisi ejus vices suppleat martyrrium. Et hoc quidem contra manichaeos, pelagianos, waldenses, calvinianos et socinianos qui baptismi necessitatem rejecerunt saltem quoad filios christianorum, aut eos qui fidei nostrae educatione Christum profitentur. Hunc

(1) *Ἐὰν δὲ πῦρ ἐν αὐτῷ ἔσται, καὶ ἰσχυρότερον. Καὶ οὗτος ὁ βῆσιμος πῦρ ἐστὶν ἡ ζωὴ αἰώνια.*

(2) Lib. iii, cont. Haeres, cap. 4, n. 2.

errorem sibi adseverunt passim protestantes, praesertim vero rationalistae (1). Adeo vero invaluit haec perniciose sententia in Anglia, ut nisi seculares magistratus infantium salutem datis legibus prospexissent, absque salutari lavacro passim isti relinquerentur (2). Contra quem errorem sit

PROPOSITIO. — *Baptismus liber non est, sed est necessarius ad salutem.*

Est de fide juxta can. V. conc. Trid., sess. VII: *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anath. sit.*

Majoris claritatis gratia in re tanti momenti praemittimus 1. Neque infantes, neque adultos baptismi lege statim obstrictos fuisse cum Christus, Joan., III, ejus necessitatem Nicodemo patefecit, aut Matth., ult., eam omnibus indicit, sed solum post sufficientem Evangelii promulgationem. 2. Non omnes theologos consentientes esse in epocha definienda sufficientis ejusmodi promulgationis, licet passim ipsi assignent decem annos plus minus pro universa Palestina, et quadraginta pro imperio romano. 3. Ejusmodi sufficientem promulgationem esse relativam, non autem absolutam, id est, eadem ratione minime dimetiendam esse relate ad diversas gentes; e. g. relate ad Americanos, vix sec. XVI dici poterat, fidem esse sufficienter promulgatam: quinimo et illud addendum est, ejusmodi promulgationem relativam esse non solum quoad diversas gentes, verum etiam quoad individua, ut patet, cum lex evangelica non solum gentes, sed et individua singula obliget et obstringat; hinc si aliquis inculpabiliter illam ignoret, ea minime obligatur (3). 4. Animadvertimus infideles negativos ante sufficientem ejusmodi promulgationem versari in eodem statu et conditione, ac versabantur universae gentes ante Christi adventum circa salutis media, sive respectu adultorum, sive respectu infantium. 5. Baptismi institutio-

(1) Mirum est, qua fiducia omnes sectarii rejiciant necessitatem baptismi. Limborchius *Theol. Christ.* lib. v. cap. 69, § 23, concludit: «Unicuique libertatem concedendam esse baptismum suscipiendi.» Cum juxta ipsum baptismus neque sanctitatis christiane pars sit, neque intus animum purificet. Scivimus in *Thesouro Eccles.* loc. cit. pag. 1137. «Ubi opinio; inquit, extabit de necessitate utriusque sacramenti etc.» nempe baptismi et coenae. Wegscheid. § 170. «Commentum de necessitate baptismi profligatum videmus.» Sic ceteri passim tumentes ejusmodi homines loquuntur; imo Beza ep. VIII. ad Grindalium ejusc. Londinensem, aperte doctrinam de absoluta necessitate baptismi vocat errorem, quem nimum nulli jam pridem asseruerunt. pag. 74. et seq. edit. an. 1543.

(2) Ex hac persuasione de nulla baptismi necessitate, quae penes protestantes vulgata est, fit, ut eorum ministri adeo oscitanter hoc sacramentum administrent, ut grave dubium ortum sit de valore baptismi ab illis collati. Hinc receptum est, ut passim non solum in Anglia, Gallia, Germania, verum etiam Romae, sub conditione ista, qui se ex diversis sectis recipiunt ad Ecclesiam catholicam, iterum baptismum conferatur.

(3) Individua enim sunt, quae damnantur aut salvantur; gentis seu nationis vox est abstracta ad collectionem individuum significandam. Quo spectant s. Bernardi verba *Tract. de Bapt.* cap. 2. n. 6. «Sed ex eo tempore tantum curae cepit antiqua observatio non valere, et non baptizatus quisque novi praecipui (a Christo dati) reus existere, ex quo praecipuum ipsum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam.» Opp. edit. Mabill. tom. n. pag. 634.

nem, quae, ut diximus, relate ad adultos rationem obtinet medii et praecipui, relate ad infantes non posse habere nisi rationem medii; quare si ipsis conferatur, hi jus acquirunt ad aeternam ac supernaturalem felicitatem; ad beatitudinem scilicet per se humanae naturae indebitam. Quod si his non applicetur, quameumque demum ob causam id contingat, ipsi non privantur nisi beneficio gratuito, nec pejor fit eorum conditio, perinde ac si nunquam humana natura evecta esset ad ordinem supernaturalem. Haec quidem privatio in praesenti rerum ordine rationem habet damnationis ad relationem ad culpam originalem, quae ab infantibus nascendo contrahitur, ast in se et absolute nihil detrahit ex eo, quod exposcit humanae naturae conditio, ut late suo loco exposuimus (1).

Quibus ita compositis, sic accedimus ad enuntiatam propositionis veritatem vindicandam. Christus Matth., XXVIII, 19, praecipit apostolis: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos, etc.*; et Marci, XVI, 15: *Euntes in mundum universum, predicatote Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ejusdem igitur necessitatis est baptismum ad salutem ac fides; sed fides, adversariis ipsis ultro latentibus, necessaria est omnibus et quovis tempore; ergo et baptismum omnibus et quovis tempore necessarium est ad salutem, nec temporarium proinde est hoc praecipuum, neque solos afficit infideles, vel infidelium filios.

Rursum: idem Christus ait Joan., III, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest intrare in regnum Dei.* Quae verba pariter generalissima sunt, nec Judaeos tantum aut ethnicos respiciunt, sed omnes prorsus tam praesentes quam futuros homines ejusdemque sexus, conditionis, religionis et generis, cum tam late patere debeat ejusmodi *renascentia* seu regeneratio, quam ortus et generatio. Quare ex hoc testimonio, si paucos aliquot obscurissimi nominis haereticos excipias, universi non modo orthodoxi, verum etiam universae heterodoxorum sectae, tenuerunt baptismum ad religionis christianae professionem, aequae ac ad salutem necessarium absolute esse. Tantum porro abfuit, ut vel suorum omnium consensionem obtinuerit Socinus, dum baptismi necessitatem impugnavit, ut ex ipsius sectariis complures extiterint valde ab ejusmodi errore abhorrentes, qui etiam editis scriptis, eum confutaverunt. (2)

Ex his porro Christi verbis, quae postremo loco adduximus, merito colligebat s. Ambrosius: *Utique nullum excipit (Christus), non infantem, non aliqua praeventum necessitate* (3); et Gennadius inter firmissima Ecclesiae dogmata et istud recenset dicens:

(1) In *Tract. de Deo creatore* col. 774. et seqq.

(2) Haec magna solertia recenset Reimannus in sua *Bibliotheca theologica* sect. 2. cap. 15.

(3) Lib. n. de *Abraham* cap. 11. n. 84. in quem locum cf. adnot. edd. Maur. Idem s. doctor ibid. n. 70. jam scripserat: «Quia nemo ascendit in regnum caelorum, nisi per sacramentum baptismatis.»

Baptizatis tantum iter salutis esse credimus (4). Sic reliqui omnes Ecclesiae patres, sive graeci, sive latini, ipsis adversariis minime dissentibus (2).

Sed melius colligi non potest utriusque Ecclesiae orientalis atque occidentalis sensus, quam ex perpetua sollicitudine tingendi eos omnes, qui in vite discrimine constituti essent, omissis omnibus solemnitatibus a quibusvis, sive viris, sive feminis, sive catholicis, sive haereticis, imo et infidelibus. Colligitur praeterea idem Ecclesiae sensus ex argumento, quod inde patres, praesertim vero Augustinus, disputantes ad hominem, ut inquit, adversus pelagianos desumebant, ut ex omni moda necessitate baptismi adstruerent in omnes homines originariae labis propagationem. Eandem demum fidem de absoluta salutis lavacri necessitate adhuc retinere diversae communionis orientales sectas luculentissime ostendit Renaudotius (3).

Quod et ratione theologica conficitur a s. Thoma: nemo potest salutem obtinere, nisi Christo incorporaretur effectus membrum ejus; atqui id aliter, saltem in nova lege, fieri nequit, nisi per baptismum, sive in re, sive in voto susceptum, juxta dictum Apostoli, Gal., III, 27: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis* (3. p., q. 68. a. 1.). Ergo.

DIFFICULTATES. I. *Obj.* Neque ex Matth. ac Marci, ult., neque ex Joan., III, ulla adstrui potest, sive absoluta baptismi necessitas, sive ejusdem praecipuum universale atque perpetuum. Etenim 1. post adducta Christi verba, Marci, XVI, subdit Christus: *Signa autem eos, qui crediderint haec sequentur; in nomine meo demonia ejicient, etc.* (4); jam vero haec signorum et prodigiorum copia ad apostolicum tantum spectabat Ecclesiam, minime vero ad adultam; ergo et ad Ecclesiam, tantum ex Judaeis et gentibus constituendam totus pertinet ille baptismalis caeremoniae apparatus, non autem ad Ecclesiam jam constitutam; cui eo pacto, quo necessaria non sunt signa illa, ita neque necessarius est exterior baptismi ritus. 2. Multo minus id conficitur ex Joan., III, ut enim observat Calvinus verba illa: *Nisi quis renatus fuerit, etc.*, non sunt intelligenda materialiter de aqua, sed de gratia Spiritus Sancti, quae utique ad salutem necessaria est; haec tamen absque baptismum per solam fidem justificantem obtineri potest prout exponit Joannes Baptista, Luc., III, 16, dicens de Christo: *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igni.* Quod pariter declarat Christus eodem Joan., cap. III, 6, dum ait: *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est; et v., 8: Omnis, qui natus est ex Spiritu.* 3. Sane eadem ratione ac Christus, Joan., III, disserens de baptismo dixit: *Nisi quis renatus fuerit,*

(1) Lib. de *Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 41. In Append. tom. viii. opp. S. August. ed. Maur.

(2) Hos collegit Jo. Gerard. Vossius *disput. VII. de bapt. thesi XXI.*

(3) *La perpétuité de la foi*, tom. v. liv. n. ch. 1. et 2.

(4) v. 17. *Ὅτι οὗτοι τὰ σημεῖα τὰς ἐκείνου τοῦ βαπτισμοῦ ἐστὶν. ἢ τ. λ.*